



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viridarivm Sanctorvm**

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]  
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

**Rader, Matthäus**

**Avgvstae Vindelicorvm, 1607**

S. Mavsima Syrus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43013**

extraxit. fœtuum abortiones repressit, qui dum in vitam immaturi prodibant, per mortem ex vita exturbabantur. Quare horum matrem ob hanc affectionem perinde ac si sterilis fuisset, fœcundam reddidit. in gens locustarum agmen verbo increpitans abegit. Quiricum orientis comitem veste sua cilicina, qua pro thorace illum induerat, inuulnerabilem præstitit. Sata terræ ardore laesa, impetrato per preces imbres recreauit. Prædixit ingentem per terræmotum Antiochiæ ruinam. Multos naufragium passos, & cum fluctibus colluctantes, periculo spectabilis visus eripuit. Multis autor vitæ religiosæ factus ad Dominum è vita excessit. Dies illi solennis in veneranda B. Petri Apostoli æde peragitur.

## ANNOTATIO.

**G** Lycas Annal. 4. & Metaphrastes in Actis Iohannis & Cyri, narrant Theodosium M. Senuphii anachoretæ epomide seu super humerali indutum, & scipione instructum in hostes progressum, eos illico veluti præsentis numine territos in fugam coniecisse.

S. MAVSIMA

23. Ianuar.

Syrus.

I s

Vir



\* *Cyrius*  
*oppidum*  
*Syria.*

**V**IR quispiam \* Cyri fuit, cui Mausima nomen, Syrus lingua, qui inter agrestes educatus, ad magnum virtutum splendore naturæ ductu peruenit: vnamq; tunicam adhibuit, quæ si rupta esset, alteram non parauit, sed eandem semper refarsit, itaque corpus texit. Hospitalis adeo fuit, vt peregrinis omnibus & pauperibus fores illius paruerint semper. Vasa duo habuisse fertur, frumenti alterum, alterum olei, vnde omnibus egentibus eadem benignitatis copiâ (nunquam defectis oleo doliis) qua Sareptana quondam vidua fruebatur, victum præbebat. Omnibus enim, qui eius implorabant opem, succurrit Deus, velutq; hydriam illam & .: lecythum fluere iussit, sementemque hospitalitatis manipulis & segete compensauit, ita huius admirandi promptam liberalitatem pari munificentia rependit. Vita benè sancteque transactâ ad Dominum emigravit.

*μαρτυριον*

### ANNOTATIO.

**P**Lura de hoc Theodoretus in patrum historia cap. XIII. qui eum appellat Mæsimam.

*ej. Ianuar.*

**S. SALAMANES**  
 Solitarius.

Vicus